



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 89. Babyloniae Patriarcha cum suo Grege ad Catholicam fidem reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

scipere, & supremum in terris Christi Sæc. XVII.
 Vicarium agnoscere, ac venerari desiderat. A. C. 1615.

§. LXXXIX.

*Babylonicæ Patriarcha cum suo grege
 ad Catholicam fidem reversus.*

Sub primis auspiciis Pontificatus Pauli V. nonnulli Orientales, ex Bzovius in vita Pauli V. Babylonia, exiguo quodam soli, quod prius hæ hujus nominis Chaldæorum urbi finitimum est, tractu Romam pervenerant. Hi populi Christi quidem cultam præseferabant, Nestorii tamen, & Pauli Samosatani erroribus vitiatum: cum autem hi advenæ in illa Hebdomada, quam *Sanctam* seu *Majorem* dicunt, divinæ Passionis mysteria summo pietatis affectu celebrari, ipsumque summum Pontificem ipsis omnibus, aliisque pauperibus pedes abluentem, necnon mensæ accumbentibus pie ac Religiose deservientem cernerent, tam mysteriorum magnitudine, quam Pontificis humilitate, ac Religione expugnati, purioris doctrinæ desiderium concepere, quo inflammati, cum in patriam rediissent, tantopere Catholicæ fidei sanctitatem deprædicabant, ut Elias, qui per hos annos Babylonicæ Patriarcha erat, protinus Legatos Romam ablegaret, supplex, ut sicut ipsi

Sæc. XVII. se Romanæ Ecclesiæ subditos profite-
Sæc. 1615. rentur, ita & summus Pontifex eos
 circa credenda summopere devios in-
 struere, atque ab erroribus liberare di-
 gnaretur: mox igitur Paulus V. Petro
 Strozio, & Andreæ Justiniano Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologo
 negotium dabat, ut e divinis pariter, Ecclesiæque primævæ libris eos sanio-
 rem edocerent doctrinam, destructis-
 que Chaldaicis erroribus, hosce po-
 pulos in viam salutis reducere adla-
 borarent. Adfuit Apostolico conatui
 prosper successus; quippe Adam Pa-
 triarchalis Ecclesiæ Archidiaconus, &
 Monachorum Chaldæorum Archiman-
 drita non modo contra Nestorii errores
 sanctissimæ Incarnationis mysteria, ac
 reliqua fidei dogmata plene hauserat,
 sed etiam sermones de duplici Christi
 voluntate & operatione, de generatio-
 ne æterna Verbi, de Incarnatione, &
 de dissidentibus ab Ecclesia Romana
 vulgabat. Hos quoque sermones Pau-
 lus Pontifex non indignos censebat, ut
 eos unacum dogmatica fidei Catholi-
 cæ professione, ac Pontificio volumine
 ad aperiendos errores, in quibus de-
 cepti misere versabantur, in ipsorum
 terras transmitteret. Revertentibus
 autem hisce Legatis Elias Patriarcha
 in civitate Ameds Episcoporum, Ar-
 chiepi-

chiepiscoporum, Monachorum, Cleri Sæc. XVII.
 populique Synodum convocabat, in A. C. 1615.
 qua omnes perlectis literis Apostolicis
 sese, ejuratis erroribus, Ecclesiæ, sum-
 moque Pontifici, interposita etiam ju-
 ramenti Religione, obstrinxerunt. Sub-
 scripsere Patriarcha, quinque Archi-
 episcopi, atque unus Episcopus.

§. XC.

*Diffidia inter Gallici Regis Senatum,
 & Parisiensem Curiam.*

Haud diu in Galliis viguit Menchilda-
 na pax, subsistentibus adhuc iis-
 dem querendi causis, quas Condæus,
 ceterique Franciæ Principes obtende-
 bant: nondum vero res in apertum eru-
 pit bellum, quod tamen eo atrocius ti-
 mebatur, quo lentius progredi visum
 est; plerumque enim flumina, quæ ta-
 citurnius incedunt, plus voraginum ce-
 lant, quam repentino strepitu minen-
 tur: Interim vero inter ipsius Aulæ Mi-
 nistros, & Parisiensis Curiae Senatores
 acrior gliscebatur dissensio; hi enim ad
 Ordinum querelas responsum differri,
 ægre ferentes, die vigesima octava Mar-
 tij decretum edidit, vi cuius Princi-
 pes, Franciæ Pares, Regni que Primo-
 res convenire jubentur, de publica ca-
 lamitate, regni que salute consultaturi.

Grammond.

Hist. Gall.

l. 2.

Calmet. Hist.

univ. l. 151.